165

EBERHARDI SPECKHANII,

J. C.

ET IN ILLVSTRI-IVLIA ACADEMIA ANTECESSORIS,

TRACTATUS

De

METHODO,

ŒCONOMIA ET SYNOPTICA DIſtributione & Exegeſi, quinque librorum Decretalium Epiſtolarum Gregorii IX. Pontificis Romani.

ANNO M DCC XIX.

Digitized by Google

Google

167

Liber primus
Titulos habet 43.

HIc Liber tribus partibus principalioribus conſtat. *Primo* continet principium, fundamentum, & ſpecies Juris Canonici. Ut enim Juris Civilis principia prima & κριτήρια, unde primordia rerum capiuntur, ſunt natura, recta ratio, & ratiocinatio: ſic fons, & norma Juris Canonici, & univerſæ religionis, pietatis, & cultus divini, principium & fundamentum primum eſt & eſſe debet vera doctrina de ſumma Trinitate & fide Catholica, Apoſtolica, Evangelica, Chriſtiana, Orthodoxa, & ut Catholicis placet, Romana, ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſa, & quatuor primis & œcumenicis Conciliis, Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, adverſus hereticos, eam varie impugnantes, adſerta, vindicata, defenſa & declarata: quod ſcilicet unus ſit eſſentia, in trium perſonarum diſtinctione Deus, Pater, Filius, & Spiritus S. Pater a nul-

lo, Filius à Patre ſolo, Spiritus S. pariter a utroque abſque initio, ſemper ac ſine fin Pater generans, Filius naſcens, Spiritus S. pro cedens. Et tres haſce perſonas eſſe conſub ſtantiales, coæquales, coomnipotentes & co æternos, ut *Innocentius III. in c.* 1. *Tit.* 1. *ele ganter & rectè docet.* Et hinc inſcriptio *Ti tuli* 1. *de Summa Trinitate & fide Catholicâ.* Species Juris Canonici eædem ſunt, quæ & Ju ris Civilis, Jus videlicet ſcriptum, quod in conſtitutiones ac reſcripta dividitur: & Ju non ſcriptum, quod conſuetudo nominatur Unde *illi Tituli.* 2. *de Conſtitutionibus.* 3. *de Reſcriptis.* 4. *de Conſuetudine.*

Secunda pars continet perſonas imprimi & magiſtratus, qui Jurisdictioni Eccleſiaſtica præſunt, eorumque officia, tàm in divinis ce lebrantis miniſteriis extra judicium, quam in audientiâ Epiſcopali ſive Eccleſiaſticâ in jure dicendo. Tales ſunt Pontifex Romanus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & reliqui Prælati, Item Paſtores & Superintendentes Eccleſiarum, qui conſtituuntur, vel per Poſtu lationem, vel per Electionem, vel per Trans lationem. *Poſtulatio* eſt concors capituli vel aliorum petitio, ſuperiori facta, de pro movendo in prælatum aliquo, qui propter aliquod impedimentum vel defectum (ob quod tamen poſtulatus, non eſt omninò in habilis) jure communi eligi non poterat. *Ele-*

Etio

ctio eſt perſonæ idoneæ, & cui nullum impedimentum juri objici poteſt, ad dignitatem, prælaturam vel miniſterium Eccleſiaſticum, canonicè & legitimè facta vocatio. *Translatio* eſt, cuiuslibet perſonæ, in ſacris ordinibus conſtitutæ, ab unâ Eccleſiâ ad aliam, jure quodam ſingulari, contra jus Canonum commune, vel ex causâ neceſſitatis, vel utilitatis, conſenſu prælati ſuperioris interveniente, transpoſitio. Unde *iſti Tituli 5. de poſtulatione prælatorum. 6. de Electione & electi poteſtate. 7. de translatione Epiſcopi.* Ita conſtituti ritè, confirmati, conſecrati, & inthroniſati, pleniſſimam adminiſtrandi poteſtatem conſequuntur, & officium ſibi demandatum rectè exequuntur. Quod quidem in prælatis inferioribus ita verum eſt: In ſuperioribus autem quibusdam, utputa Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitanis, & Epiſcopis quibusdam non aliter, quam ſi pallii etiam poteſtatem & uſum, legitimè impetraverint. Eſt autem *pallium* inſigne ornamentum Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Metropolitarum, & quandoque etiam Epiſcoporum, & quarundam Eccleſiarum, ex ſpeciali quodam privilegio, de corpore Beati Petri ſumptum, Pontificialis ſive Paſtoralis officii plenitudinem, cum translatione dignitatis, deſignans. Forma modusque ejus tradendi eſt, ut poſt præſtitum ſedi Apoſtolicæ ſacramentum, vel Pontifex, vel unus ex quatuor Patri-

archis, ſive Conſtantinopolitanus, ſive Antiochenus, ſive Alexandrinus, ſive Hieroſolymitanus, in plenitudinem Paſtoralis officii, inſtanter petenti tradant, ut eo intra Eccleſiam vel provinciam ſuam, diebus in privilegiis Eccleſiæ ſuæ expreſſis, libere uti poſſit. Hinc *Titulus* 8. *de Authoritate & uſu pallii.* Et hunc ad modum ſemel rite conſtituti Prælati, Eccleſiarumque Superintendentes & Miniſtri, & officio ſemel ſuſcepto, niſi ex legitimis cauſis a ſuperiore approbatis, renunciare non poſſunt. *Renunciationis*, refutationis, abdicationis, ſive ceſſionis cauſæ juſtæ & legitimæ ſunt iſtæ, 1. conſcientia criminis non cujuslibet, ſed duntaxat illius, quod officii executionem, poſt peractam pœnitentiam impedit, ut ſunt Simonia, Homicidium, & in genere, omne delictum, quod infamiam irrogat: 2. debilitas corporis, qua quis vel ob infirmitatem, vel ſenectutem, ad officium paſtorale exequendum, impotens redditur: 3. defectus ſcientiæ in exequendo officio paſtorali neceſſariæ, 4. malitia populi extreme pertinax, deplorata & indurata, ita ut docendo, hortando, increpando, nihil apud eum proficere poſſit. 5. Grave ſcandalum, quod, niſi ceſſione, vitari non poteſt, ne plus temporalem honorem & dignitatem, quam æternam videatur affectare ſalutem. 6. Perſonæ irregularitas omnis, quæ ordinationi &

officio

officio clericali, absque diſpenſatione, impedimentum præſtat, ut ſunt Bigamia, vitium natalium, & hujusmodi ſimilia. Hinc *Titulus 9 de Renunciatione.* Quod ſi Prælati in commiſſo officio negligentes deprehendantur, vel ſæpius fit, negligentia illa, a ſuperioribus, vel per ſuſceptionem muneris neglecti, vel permiſſionem Coadjutoris, vel Viſitatoris, ſupplenda erit, ne Eccleſia damnum inde patiatur. Qua de re eſt *Titulus 10. de ſupplenda negligentia prælatorum.* Antequam autem ad ordinationem prælatorum & miniſtrorum Eccleſiæ perveniatur, ante omnia ſcrutinium ſive examen ordinandorum inſtituendum eſt, in quo ab Examinatoribus Epiſcopis vel Archidiaconis idoneis habilibus, tribus vel quatuor, juſto & legitimo tempore, de doctrina, vita, ætate, genere, inſtitutione, moribus, patria, locoque educationis, diligenter inquirendum eſt: an ſcilicet ordinandi tales ſint, ut propter ætatem rite ordinari poſſint, ut in Epiſcopum ordinandus triginta ſit annorum, in presbyterum viginti quinque: an ordinandi, ante etiam fuerint ordinati & uncti (hæc enim ſacramenta, ad inſtar baptiſmi, iteranda non ſunt:) an legitime nati, an filii presbyterorum ex concubina vel ſcorto ſuſcepti, qui, niſi per diſpenſationem, ad ordines ſacros promoveri non poſſunt: an ſervi, qui ſine nota Eccleſiæ, cœtui

liberorum præeſſe non poſſunt, niſi per manumisſionem liberi, & ſic ex veteribus veluti hominibus, novi facti fuerint: an ad ratiocinia, & reliqua adminiſtrationis alicujus publicæ privatæque obligati ſint: hi enim priusquam ſe liberaverint, promoveri non debent, ne moleſtia dedecusque creetur Eccleſiæ, neve videri poſſint, non pietatis ergo, ſed magis ad conturbandas rationes, ad Eccleſiæ præſidium confugiſſe: an vitio aliquo corporis ejusmodi, deformati vel mutilati, quod miniſterio Eccleſiæ, vel impedimento, vel dedecori eſſe poſſit: an bigami, hoc eſt, plurium uxorum aut viduarum mariti: qui quidem non prohibentur ordinari ob peccatum, ſed propter normam ſacramenti amisſam: non ad vitæ meritum, ſed ad ordinationis ſignaculum, ut Pontificii Canones habent: an exteri, peregrini, vagi, errones, & qui non ſunt de diœceſi Epiſcopi: horum enim aſſertioni de ſuâ ordinatione aliter credendum non eſt, nec ad ſacri miniſterii adminiſtrationem admittendi ſunt, quàm ſi ordinationem ſuam quinque Epiſcoporum ſigillis approbaverint, ſiquidem præſumptio contrà tales ſit, quod vel omnino creati, non ſint, vel ſaltem non ritè & canonicè. Examine hunc ad modum facto, Examinatores, examinatum ordinatori præſentabunt, eumque vel dignum, vel indignum, prout conſcientia dicta-

dictaverit, renunciabunt. Et ſi ordinator quærat ab Examinatoribus, num dignus ſit ordine ordinandus: ſalvâ conſcientiâ reſpondere poterunt, dignum eſſe quantum humana fragilitas noſſe ſinat, quamvis exitus poſteà contrarium probaverit. Eſt autem *ordinatio* actus Eccleſiaſticus, quo præviâ examinatione, per manus impoſitionem, aliorumque ſolennium, ceremoniarum, & rituum adhibitionem ab Eccleſiâ inſtitutorum, ſtatuto Canonibus tempore, ab eo qui jus ordinandi habet, munia Eccleſiaſtica, decenter obeunda, hominibus idoneis & dignis commendantur. Quò pertinet *Tituli* 11. *de Temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.* 12. *de ſcrutinio in ordine faciendo.* 13. *de ordinatis ab Epiſcopo, qui reſignavit Epiſcopatui.* 14. *de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.* 15. *de ſacra unctione.* 16. *de Sacramentis non iterandis.* 17. *de filiis presbyterorum ordinandis vel non* 18. *de ſervis non ordinandis, & eorum manumiſſione.* 19. *de obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.* 20. *de corpore viciatis ordinandis vel non* 21. *de bigamis non ordinandis.* 22. *de Clericis peregrinis.* Porro prælatorum, qui jurisdictioni Eccleſiaſticæ præſunt, duo potisſimùm ſunt genera: Unum eorum qui in Epiſcopatu conſtituti, magnâ poteſtate, & reverendâ dignitatis præeminen-

tia clari, generali Superintendentum nomine vocantur: Alterum eorum, qui ſuperioribus ſive majoribus iſtis ſubſunt, & in Eccleſiæ miniſterio deſerviunt, vicemque eorum, ſi ipſi præeſſe non poſſunt, ſubeunt: qui pro diverſitate ordinis & gradus, diverſa etiam ſortiuntur nomina & officia. Tales hic nominantur Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii, Sacriſtæ & Cuſtodes. Unde *Tituli* 23. *de officio Archidiaconi.* 24. *de officio Archipresbyteri* 25. *de officio Primicerii* 26. *de officio Sacriſtæ*, 27. *de officio Cuſtodis Archidiaconi*, Epiſcoporum fere Vicarii ſunt, tam in rebus, quam perſonis Eccleſiaſticis, viſitandis, corrigendis, ordinandis,& diſpenſandis. Ejus officium in hiſce potiſſimum conſiſtit in ſpecie. Archipresbyteris Diaconis, Subdiaconis, & reliquis inferioribus, imperare & præſidere: acolytum ordinare: cuſtodiam ſacrorum vaſorum habere: de tertio in tertium annum, diœceſin & Eccleſias Epiſcopo ſubjectas viſitare & quæ emendatione indigent, corrigere: promovendos ad ſacros ordines, & beneficiis Eccleſiaſticis præficiendos, examinare, ſcrutari & probare: examinatos, ſcrutatos, & probatos, Epiſcopo ordinandos præſentare: ſedibus condignis quemlibet prælatum collocare: jurgia ſingulorum audire: ordinariam cognitionem & jurisdictionem, tam in Clericos, quam Eccleſias, & alias res eorum exercere: atque

Digitized by Google

Digitized by Google

175

tque adeo Epiſcopi vicem gerere, niſi ardua
ıegotia majorem authoritatem deſiderent.
:t quia tanta negotiorum mole eſt Archidia-
onus, receptum eſt, ut non unus tantum, ſed
uo, tres, quatuor, vel plures quandoque
n unaquaque Cathedrali Eccleſia conſtituan-
ur: & ut ad hoc officium, ſi unquam fieri
ıoſſit, non niſi Doctores, Licentiati, aut Ma-
;iſtri Theologiæ, & Juris Canonici, eligantur,
*ıt ſancitum eſt noviſſime in Concilio Tridenti-
ıo, ſeſſ. 9. in decretis, de reformatione genera-
i can.* 13. Et denique hinc receptum eſt, ut
Archidiaconus, oculus Epiſcopi meruerit ap-
ellari. *Archipresbyteri*, Archidiaconis
ɔaulo minores, adminiſtrationi presbytero-
um ſuperintendunt, & in ſpiritualibus vicem
ıbſentis Epiſcopi gerunt. Unde officio Ar-
:hipresbyteri ſpecialiter incumbit, ſacra mi-
ıiſteria, in cantanda miſsa, benedictionibus
:onferendis, ſacramentis adminiſtrandis, & ut
acerdotes in iis adminiſtrandis, ſe probe ge-
ant, curare, pœnitentes infirmos, conſulto
Epiſcopo reconciliare, pœnitentiam cunctis
liis ſacerdotibus injungere, atque adeo in
ımnibus Archidiaconi & Epiſcopi præceptis
ıbſequi. *Primicerii officium* in eo conſiſtit, ut
n docendo, legendo, cantando, Diaconis, &
eliquis gradibus Eccleſiaſticis in ordine poſi-
is, & aliis ad diſciplinam Eccleſiaſticam per-
inentibus, præſit, & pro modulo juriſdictio-
nis

nis ſuæ, quam ordinariam habet in iis, quæ officio ſuo incumbunt, agenda impetret. *Sacriſtæ* (qui etiam theſaurarius, & κειμηλιάρχης, quandoque vocatur) officium in eo conſiſtit, ut nutu & mandato Archidiaconi, cui ſubeſt, curam & cuſtodiam diligentem agat, ſacrorum vaſorum, veſtimentorum Eccleſiaſticorum, rei luminariæ, olei & ceræ, atque adeò totius theſauri Eccleſiaſtici. *Cuſtodis Eccleſiæ* officium, quamvis multa pro diverſorum locorum conſuetudine, cum Sacriſtæ officio communia habere videatur: tamen inferior cuſtos & Sacriſta: Et hæc propriè & ſpecialiter, ex nutu & mandato Archidiaconi cui ſubeſt, ad munus ejus ſpectant, ut horarum canonicarum ſigna det tintinnabulorum pulſatione: pallia & lintea altaris, omniaque Eccleſiæ utenſilia diligenti cuſtodiâ aſſeruet: accendendis vel extinguendis lampadibus & laternis, vigilem ſe præbeat, ne aut ſuprà modum ardentes, nimiùm olei abſumant, aut minus illucentes, obſcuriorem Eccleſiam relinquant: ut panis & vini admiſſæ ſacrificium, omni tempore copia ſuppetat, ſolicitè provideat: & denique ut omnes oblationes, Eleemoſynas ſeu decimas, Archidiacono conſentiente, inter fratres diſtribuat. *Tres igitur iſti, Archidiaconus, Archipresbyter, & Cuſtos, ſunt veluti triumviri, quibus tanquam validiſſimis columnis fulcitur Eccleſia ipſi.*

ipſiusque nititur ſaltus. Quare nemo etiam, niſi optimus & vigilantisſimus, ad hæc officia eſt admittendus, ne qua negligentia aut ſocordia in Dei Eccleſiâ notari poſſit. Porrò cum ſupra dictæ perſonæ, non tantùm in miniſteriis divinis obeundis, ſed etiam in jurisdictione Eccleſiaſticâ exercendâ, variis ſæpè occupationibus & negotiis impediantur: & ne quid tamen inde detrimenti, vel ad Eccleſiam, vel ad privatum, redundet: rectè jura permiſerunt iis hâc in re operâ vicariâ uti. Et hæc opera in genere, in & extrà judicium, Vicariatus dicitur. In judiciariis verò cauſis, tàm domi quàm foris, mandata & ſuſcepta jurisdictio delegata, & legatio vocatur. *Vicariatus* eſt munus, ab ordinario vel clerico, ad celebranda divina miniſteria, aliaque quæ ad munus ordinarii, in jure dicundo pertinent, exercenda & expedienda, commiſſum. *Iurisdictio delegata*, eſt unius vel plurium, vel univerſitatis cauſarum, judicialiter cognoſcendarum & definiendarum, ab ordinario vel delegato Papæ, inferiori facta commisſio. *Legatio*, eſt ardui cuiusdam negotii, quod Pontificis auctoritatem deſiderat, in provincia adminiſtrandi cuidam Clerico facta commisſio. Et hæc pro perſonarum diuerſitate triplex eſt. Quidam enim de latere ſummi Pontificii ſunt, & de collegio Cardinalium, undè & *legati de latere* dicuntur: Quidam Cardinalibus multò inferiores

res ſunt, & *Legati miſſi & conſtituti* dicuntur, quibus ob merita quædam ſua, id muneris demandatum eſt: Quidam *Legati novi* dicuntur, quod una cum dignitate quam habeat, id officium naſcatur, & dignitati ipſorum ſit annexum. Quorum ut diverſa ſunt nomina & appellationes, ita diverſa quoq; & diſparata ſunt munera & officia. Hinc *Tituli* 28. *de officio Vicarii*. 29. *de officio & poteſtate judicis delegati* 30. *de officio Legati*. Qui vero non ab alio juriſdictionem habent, ſed proprio jure, lege, vel canone permittente, eam univerſaliter exercent, *ordinarii Iudices*, & juriſdictionem ordinariam proprie habere dicuntur, ut ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, quando rite ſunt ordinati. Unde *Titulus* 31. *de officiis Iudicis ordinarii*. Utrique vero Judici tam ordinario, quam delegato, commune judicis nomen & officium, tam nobile, quam mercenarium, ſive proprio motu, ſive ad inſtantiam & poſtulationem partium exerceatur, recte competit. Unde *Titulus generalis* 32. *de officio Iudicis*.

Quoniam vero juſtitiæ, æquitatis & honeſtatis, & decori ratio poſtulat, ut ſubditi & minores, ſuperioribus, majoribus, magiſtratibus, prælatis & judicibus ſuis, ut præeminentioribus & dignioribus, debitam obedientiam & reverentiam præſtent, *datur Titulus* 33. *de majoritate & obedientia*. *Majoritas* eſt prærogativa, qua quis cæteris paribus vel inferioribus digni-

dignior, majorique honore afficiendus eſt. Majoritas autem iſta & prærogativa, oritur vel ex ordine, vel conſecratione, vel diſpenſatione, vel prioritate temporis, vel præeminentia & dignitate ordinantis. *Ordo* efficit, ut Pontifex presbytero: presbyter Diacono: Diaconus Subdiacono &c. major ſit, honorabilior, & magis reverendus. *Conſecratione* quædam majoritas conciliatur Epiſcopis ex eo, quod Clericos conſecerant. *Diſpenſatio* facit, ut Archidiaconus major ſit Archipresbytero, Sacriſta, major cuſtode. *Prioritas* facit, ut prior tempore poſteriori præferatur. *Praeminentia denique ordinantis*, majoritatem quandam inducit. Unde ordinatus a ſuperiore, inter alios ejusdem ordinis, magis eſt honorandus. Effectus autem Majoritatis in eo eſt, quod prior in ordine, etiam in ſeſſione, ſubſcriptione reſponſione, dignitate, vacantium collatione & perceptione beneficii, præferendus ſit: quod prius ordinatus, poſteriori, in nominatione & electione ad ſcrutinium ſive examen ordinandi ſit præferendus, niſi alius forte, privilegio vel conſuetudine quadam ſpeciali id ius habeat: quod major in ordine, licet in Eccleſia poſterius receptus, in loco & portione ſit præferendus: quod denique minores omnes, majori cui ſubſunt, obedientiam præſtare debeant. Eſt autem *obedientia*, ſubjectio, quam inferior ſuperiori, juxta juris ſtatutique nor-

normam, vel ſtipulata manu, vel corporali iuramento promittit.

Tertia pars principalis huius libri continet ea, quæ circa perſonas & res litigantium, initio judiciorum occurrere, & ventilari poſſunt: ut ſunt pacta, transactiones, poſtulationes, reſtitutiones, & arbitria. Quandoque enim Judex bonus & cordatus, præſertim Eccleſiaſticus, antequam partes litigantes ad odia, arma, bella, guerras, & lites judiciarias deſcendere, & dubium litis eventum ſubire & experiri patiatur, varias inter eas, pacis, treugæ, induciarum ac ſecuritatum conditiones, pactiones, ac transactiones tentat. Unde *dantur Tituli* 34. *de treuga & pace*. 35. *de pactis* 36. *de transactionibus*. Quod ſi negotium amicabilibus iſtis compoſitionibus inter partes tranſigi nequeat: tunc demum Judex poſtulationes judiciales, tam per ſemetipſum, quam alium: tam privatorum, quàm univerſitatum, communionum, corporum, ordinum & collegiorum nomine permittet. Quo pertinent *Tituli* 37. *de poſtulando*. 38. *de Procuratoribus*. 39. *de Syndico*. Evenit quandoque etiam, ut litigatores, tàm majorennes, quàm minorennes, Reſpublicæ, Eccleſiæ, aliaque pia, religioſa, & venerabilia loca, quæ minorum jure utuntur, ſive in judicio, ſive extrà judicium, injuſtè ab adverſario læſi, tàm agendo, quàm excipiendo, ex jure ſuo ſingulari & extraordinario, contrà

eum

eum experiantur, utputa, ſi forte ob dolum, vim, metum, errorem, ætatem, abſentiam, alienationem rei litigioſæ, animo mutandi judicii indebite factam, vel aliam juſtam & legitimam cauſam, ſe læſos & deceptos conquerantur: quibus caſibus, ipſis remedium reſciſſorium, & in integrum reſtitutio competit. Unde *Tituli* 40. *ſpecialis de his, quæ vi metusve cauſa fiunt.* 41. *generalis. de in integrum reſtitutione.* 42. *ſpecialis rurſus, de alienatione judicii mutandi cauſa facta.* Denique interdum etiam litigatores ipſi, ad evitandas odioſas & ſumptuoſas litium protractiones, controverſias ſuas ſub ſtipulatione pœnali dirimendas, arbitris quibusdam per compromiſſum committunt. Unde *datur Titulus* 43. *& ultimus, de arbitris.* Et tantum hic de hoc libro.

Liber ſecundus

Titulos habet 30.

ABſoluto primo objecto, quod circa perſonas verſatur, ingrediuntur nunc juris hujus conditores ipſum judiciarium proceſſum, rejecto altero ejus objecto rerum ſcilicet, ad libros poſteriores, ad imitationem & exemplum compilatorum Codicis Juſtinianei,

qui ſimiliter ordinem & proceſſum judicia-
rium *libr.* 2. *&* 3. rebus, materiæ, & actionibu
inde deſcendentibus præmittunt, ut ibi vide
re eſt, quod hic velut forma, dignior ſit, ma
gisque univerſalis, proindeque materiæ juri
& judiciorum, quamvis natura priori, non
immerito præmittendus: quamvis in Inſti-
tutionibus & Pandectis, res & materia Juri
& judiciorum, ut natura priores, ordini ju
diciorum & proceſſui præmittantur. Ante
quam autem compilatores hujus Juris, ordi
nem & proceſſum judiciarium, ſecundum ſin
gulos ſuos actus explicare incipiant, prævia
cujusdam cognitionis, majorisque evidentia
& intelligentiæ gratia, præmittunt *Titulum*
1. *generalem de Iudiciis.* Cujus præcepta quæ
dam generaliora, in Pandectis & Codice eo
dem, annotavi. Quibus ita generaliter co
gnitis & prægustatis, ſi actori omnino conſti-
tutum ſit, reo dicam impingere, litemque in
tendere, ante omnia curare debet, ut Judi-
cem adeat competentem, ad eum querelam
deferat, controverſiam ei breviter exponat
rogetque ut cauſæ cognitionem ſuſcipere ve-
lit. Judex audientiam actori præſtat, que
relam cognoſcit, & ſi petitionem æquam ju
dicet, diem judicii dicit, atque reum etian
in judicium evocat, citatione ad eum emiſſa
Unde datur *Titulus* 2. *de foro competente*, in
quo & de competentia, & citatione, quam
vi

vis modice, permiſtim tractatur. Reo ad judicem competentem citato, & ad diem conſtitutum, vel per ſe, vel per procuratorem legitimum comparente, proximum eſt, ut actor actionem, intentionem, ſive petitionem ſuam, libello comprehenſam, reo, vel judici, & per ipſum reo, pro loci cujusque ſtylo & conſuetudine, offerat, ut inde edoctus reus, quid a ſe petatur, deliberare ſecum poſſit, an liti cedere, an vero contendere velit: & ſi litigandum exiſtimet, paratior exceptionibus & defenſionibus jure ſibi competentibus, ad judicium veniat. Unde datur *Titulus* 3. *de libelli oblatione.* Libello hunc ad modum, reo oblato & exhibito, ſi reus contendendum exiſtimet, nec habeat exceptiones alias jure ſibi competentes, quibus actoris intentionem confundere poſſit: ſolet nonnunquam ante litem conteſtatam, actorem, ratione alterius cauſæ, apud eundem judicem vicisſim reconvenire. Eaque reconventio adeo jure permiſſa eſt, ut a judice eam admittere nolente, recte appellari poſſit, nec actor cum effectu eam declinare poſſit: cum nihil æquitati magis conſentaneum ſit, quam, ut cujus in agendo obſervat arbitrium, eundem etiam contra ſe judicem habere non dedignetur. Unde *Titulus 4. de mutuis petitionibus* (*ſeu, quod idem eſt, reconventionibus.*) Mutua hac petitione utrinque & ex parte actoris & rei con-

venti, coram eodem judice inſtituta: Conſequens eſt, ut litis etiam conteſtatio ſuper utraque cauſa fiat, primo, ſuper actoris conventione, deinde ſuper reconventione rei, unde datur *Titulus* 5. *de litis conteſtatione*, quæ nihil aliud eſt, quam judicii conſtitutio, facta affirmatione unius, & contradictione alterius litigantis. Et hæc litis conteſtatio usque adeo neceſſaria eſt, ut antequam ea facta fuerit, regulariter neque teſtes produci, recipi, examinari, multo minus ad ſententiam definitivam procedi poſſit: Eſt enim fundamentum & lapis angularis totius judicii, quo non poſito, omne id quod ſuperſtruitur, corruere & collabi neceſſe eſt. Unde eſt *Titulus 6. ut lite non conteſtata, non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitivam.* Dico regulariter ante litem conteſtatam teſtes recipi non poſſe, propter caſus nonnullos a regula exceptos, de quibus alias. Lite hunc ad modum ſuper utraque cauſa, & reconventionis, conteſtata: proximum eſt, ut utrinque a partibus, ſi petitum fuerit, ad calumniæ vitandæ juramentum procedatur: quo actor jurat, quod non calumniandi animo, ſed exiſtimando, bonam ſe cauſam fovere, litem moverit: Reus, quod putans ſe bona inſtantia uti, ad reluctandum vel contradicendum, pervenerit: uterque jurat, quod in tota lite nullam probationem exigent, niſi

niſi quam pro veritate neceſſariam eſſe putaverint; quod præſentis controverſiæ nomine, neque judicibus, neque alii cuicunque perſonæ, quicquam vel dederint, vel promiſerint, vel dabunt, vel promittent, ſive per ſe, ſive per aliam interpoſitam perſonam, exceptis iis, quæ & quibus leges dari diſponunt & permittunt: quod differendæ litis cauſa, nullas dilationes petent: Quod tamen *Speculator* perjurii evitandi cauſa, rectius omittendum cenſuit, quod nunquam juramentum exigendum ſit, quando veriſimiliter de transgresſione ejusdem dubitatur. Quod diligenter notandum eſt Judicibus, ne, dum nimis exacte & ſcrupuloſe juramentum concipiunt, pererundi occaſionem præbeant. Denique ex conſuetudine magis, quam juris communis diſpenſatione paſſim jurant, quod interrogati ſemper veritatem quam ſcient, fatebuntur. Hinc datur *Titulus 7. de Juramento calumniæ (ſcilicet vitandæ.)* Juramento calumniæ hunc ad modum præſtito, vel tacite (quod idem eſt) omiſſo; antequam ad probationes deveniatur, dilationes hoc nomine, vel a judice, vel a lege (quorum illæ proprie dilationes, hæ, feriæ dicuntur) dari ſolent: Quamvis & ante litem conteſtatam (de quibus hoc titulo proprie agitur, ut vel hinc diſcere liceat, non raro in jure noſtro, Rubricas generaliores & latiores eſſe ſuo nigro) & in omnibus aliis

actibus, dilationes ſæpisſime concedi ſoleant. Unde *Tituli* 8. *de dilationibus.* & 9. *de feriis.* Quando hucusque a partibus progreſſum eſt, ſolent ſæpisſime plures quæſtiones ſive cauſæ coincidere, in quibus ordo quidam cognoſcendi requiritur: utputa, cauſa plus petitionis, quæ olim damno litis, ſive debiti & actionis privatione, hodie ſumptuum & impenſarum damno mulctatur: cauſa poſſesſionis & proprietatis, quarum illa, tanquam ſummaria, & petitorium ordinans, prius cognoſci ad definiri debet: cauſa ſpolii ſive ſpoliatio, quæ & extra judicium, & in judicio fieri poteſt. Extra judicium fit ſpolium, quando actor vi, clam, vel dolo malo, reum e poſſesſione rerum ſuarum eiicit. Quo caſu reus, antequam in cauſa principali procedatur, omnino reſtituendus eſt. In judicio ſpolium fieri dicitur, quando altera pars litigantium, dolo vel contumacia, judicium ſubterfugit & fruſtratur, & ſua abſentia præſentem impedit, quamvis in cauſa procedere poſſit: quo caſu ſolenne eſt, contra dolum fruſtrantis, vel contumaciam fugientis ac latitantis, misſionem in bonorum poſſesſionem cauſa rei ſervandæ (quanquam alias regulariter lite pendere nihil ſit innovandum) decerni: aut quod misſioni ſuccedit, maxime, ſi immisſus fructus diſſipaverit, poſſesſionem fructusque rei litigioſæ, ſequeſtrari. Quod tamen, quia ſpoliantis

inſtat

187

inſtar eſt, extraordinarium & odioſum remedium eſt: ideo ad illud perveniri non debet, niſi ex magna cauſa, eaque cognita, ac proinde citata auditaque parte cujus intereſt. Hinc *Tituli* 10. *de ordine cognitionum.* 11. *de plus petitionibus.* 12. *de cauſa poſſesſionis & proprietatis.* 13. *de reſtitutione ſpoliatorum.* 14. *de dolo & contumacia.* 15. *de eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ:* 16. *ut lite pendente nihil innovetur.* 17. *de ſequeſtratione poſſeſſionis & fructuum.* Cæterum controverſiis iſtis incidentibus expeditis, & utroque litigantium copiam ſui faciente, & ad probationes procedente, ſiquidem affirmative lis conteſtata fuerit, tantum ſupereſt juris, non facti quæſtio, nec aliud reſtat, quam, ut in confeſſum ſententia feratur: Sin negative (ut plerumque ſolet) litis conteſtatio facta fuerit, puta, negando narrata prout narrantur (quæ ſcilicet ſunt facti) & petita (in concluſione ſcilicet, quæ ſunt juris) prout petuntur, fieri non debere: hoc caſu probatio intentionis quatenus facti eſt, actori, vel per teſtes, etiam ad id, vel judicis officio, vel mulctæ indictione, vel pignoris captione, ſi forte vel odio, vel gratia, teſtimonii dictioni ſe ſubtrahere velit, cogendis: vel per inſtrumenta publica vel privata: vel per propriam confesſionem: vel per jusjurandum: vel per præſumptiones, conjecturas, ſigna, & indicia, facienda & ad-

implenda, incumbit. Hinc *Tituli 18. de confeſſis. 19. de probationibus. 20. de teſtibus & atteſtationibus. 21. de teſtibus cogendis. 22. de fide inſtrumentorum. 23. de præſumptionibus. 24. de jurejurando.* Probatione hac ex parte actoris adimpleta: Reus ſimiliter, ad exceptionum & præſcriptionum ſuarum (quæ & ipſæ exceptiones ſunt ex tempore vim capientes) probationem admittendus: qui in his actor habetur, nec ante probare easdem cogitur, quam actor intentionem ſuam adimpleverit. Hinc *Tituli 25. de Exceptionibus. 26. de præſcriptionibus.* Factis & productis probationibus utrinq; & diſputatis, ultimum eſt, ut Judex ſententiam ferat, libello & probationibus congruentem: quæ transſit in rem judicatam, & ad executionem, quæ ultimus eſt judiciorum actus, perducitur: niſi ab ea appellatum fuerit intra decendium a tempore ſcientiæ, aut, ad acta ſtatim, aut, quod perinde eſt, in ſcriptis apud notarium: vel, niſi (quod in effectu tantundem valet) judex ob ſuſpicionem legitimam recuſatus fuerit: vel cauſa ab inferiore judice de ea dubitante, ad ſuperiorem ſive Principem relata fuerit, vel ad ſedem Apoſtolicam, ſive curiam Romanam ſuper illato gravamine miſſum, vel peregrinatio ſive iter arreptum fuerit. Hinc *Tituli 27. de ſententia & re judicata. 28. de Appellationibus, recuſationibus, & relationibus. 29. de Clericis peregrinantibus.* Appellatione

ne facta, ſi in judice ad quem, legitime eam factam conſtiterit, inferioris judicis a quo decretum, ut utile, confirmat: ſin illegitime factam conſtiterit, inferioris judicis decretum, ut inutile, improbat, & in melius reformat. Unde illa hoc caſu uſitata in pronunciando formula: *Reſpondemus, quod in prima inſtantia bene pronunciatum & decretum, & male inde appellatum fuerit: Et econverſo, quod in prima inſtantia male pronunciatum & decretum fuerit, & bene appellatum.* Hinc datur *Titulus* 30. *& ultimus, de confirmatione utili, vel inutili.* Et tantum hic etiam de hoc libro.

Liber tertius
Titulos habet 50.

POſtquam compilatores hujus Juris, ordinem, progreſſum & exitum judiciorum omnium, civilium & criminalium, primæ & ſecundæ inſtantiæ, libro ſuperiori expoſuerunt: nunc libro iſto, & duobus proxime ſequentibus, materiam & cauſas civiles & criminales, quæ in audientia ſive judicio Eccleſiaſtico agitari ac diſceptari ſolent, ordine explicare incipiunt. Et quidem hoc libro, ad audientiam Eccleſiaſticam pertinentia jura, tam perſonalia, quam realia, iſta ordine proponun,

ponuntur & pertractantur. De vitæ & morum honeſtate, integritate, & ſanctimonia clericorum, quæ ſecundum veteres & novos canones, in tribus hiſce potisſimum conſiſtit, in actuum, negotiorum, & officiorum, ſuæ profeſſioni, vitæ & ordini competentium, adminiſtratione, non competentium abſtentione: in virtutum ſtudio, & vitiorum fuga: in cultu, habitu, ornatu, veſtitu, & inceſſu ſuo ordini decenti. *Ad primum genus refero iſta*, ut Clerici ſacro miniſterio & operibus divinis, ſuæ vitæ, ordini & profesſioni competentibus, eo rectius intendere poſſint. In genere ab omnibus officiis, negotiis, artificiis, & commerciis ſecularibus, maxime inhoneſtis, prorſus abſtinere debent. Hinc a cauſis criminalibus & ſanguinis cognoſcendis & judicandis, in foro contentioſo abſtinere debent, ac laicis eas diſcutiendas, ac terminandas committere, ſi forte temporali ſuæ juriſdictioni examinandæ & terminandæ incumbant: Tabernas, popinas & cauponas vitare debent, nec ad eas, niſi in itinere, ex cauſa neceſſitatis, divertere: Macellariorum & laniorum officio abſtinere debent: Tabellionatus officium exercere non debent. Alienas poſſesſiones & prædia redimere & conducere non debent. Tutores, curatores, procuratores, gubernatores, adminiſtratores, officiales, & miniſtri laicorum eſſe non debent.

Pro-

Pro aliis intercedere & fidejubere non debent. Mimis, hiſtrionibus, joculatoribus & ſpectaculis intendere non debent. Ab armis bellicis militaribus negotiis abſtinere debent. A ſubis, taxillis, tabulis, aleis, & aliis ludis illicitis & inhoneſtis abſtinere debent. A venationibus clamoroſis, & ſylvaticis vagationibus cum canibus, accipitribus ac falconibus prorſus abſtinere debent. A ſtudio Jurisprudentiæ, Medicinæ, Phyſicæ, Anatomiæ, Chirurgiæ, Dialecticæ, Poëſeως, & reliquarum ſecularium diſciplinarum ſtudiis abſtinere debent, ne humanarum literarum illecebris capti, Theologiæ & Juris Canonici ſtudium, prorſus negligant, contemnant, & abjiciant. Et hæc ſtudia & exercitia, profesſioni ſuæ minime convenientia, in tantum prohibita ſunt Clericis, ut ſi poſt tertiam monitionem iis non abſtinuerint, omnibus privilegiis, bonis ſuis conceſſis, privandi ſint, & quandoque etiam ſeverius, pro ratione commisſi, puniendi veniant. *Ad ſecundum genus refero iſta*, ut Clerici extra matrimonium caſti ſint & continentes, hoc eſt, ne ſuſpectis mulieribus cohabitent, cum iis confabulentur, converſentur, lavent, eas oſculentur, ne concubinas alant: ut in omni vita, in cibo & potu, ſobrii ſint & temperantes, a vino, ebrietate, crapula, convivationibus, comeſſationibus, æqualium haſtorum invitationibus, cantionibus

nibus inter pocula, prorſus abſtineant: Hæc enim omnis luxuriæ, malorum & vitiorum, fontes ſunt & irritamentum. Ne ſint contentioſi, litigioſi, ſeditioſi, avari, uſurarii, cupidi vindictæ, invidi, maledici, vel aliis vitiis & criminibus dediti & corrupti, ſed omnibus virtutibus præditi & addicti. Ne ab una Eccleſia in aliam tranſeant. Ut in Eccleſiis ſuis, in quibus præbendas habent, reſideant, nec temere inde recedant: nam præbendis & dignitatibus frui non debent otioſi, citraque probabile, puta morbi, ſtudiorum, ſimileque impedimentum & cauſam rationabilem, ab Eccleſia ſua abſentes. *Ad tertium genus, cultum ſcilicet corporis, ornatum, veſtitum, & inceſſum refero iſta.* Ne Clerici comam, aut barbam nutriant, ſub pœna anathematis. Ne palliis diffibulatis utantur in publico, ſed vel poſt collum, vel ante pectus hinc inde connexis: nec aliis indumentis, vel nimia brevitate, vel longitudine notandis. Nec pannis rubeis utantur, aut viridibus, aut manicis, aut ſotularibus conſutitiis, frenis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem præ ſe ferentibus. Ne fibulas ferant aut corrigias, auri vel argenti ornatum habentes: ut nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Nec cappas manicatas ad divinum officium, vel intra Eccleſiam, vel alibi gerant, qui ſunt in ſacerdotio, vel

vel perſonatibus conſtituti? niſi juſta cauſa timoris exegerit habitum transformati. Et denique Clerici profeſſionem ſuam, habitu & veſtitu, ita per omnia probare debent, ne vel in veſtibus, vel calceamentis decorem quærant. In inceſſu talis debet eſſe ornatus, ut gravitate itineris, mentis maturitatem oſtendant, incompoſitio enim corporis, inæqualitatem indicat mentis. Et hæc adeo vera ſunt, ut ſi Clerici veſtibus corporisque ornatibus abutantur, beneficiis ſuis eorumque fructibus, ſemeſtri ſpatio privandi veniant: Sin nulla habeant beneficia, intra ſex menſes, ad nullum aſpirare queant: Si ſint in dignitate conſtituti, aut perſonatum, aut beneficium curatum habeant, & citra juſtam cauſam, interdictis veſtibus uſi fuerint, unius anni jactura fructuum beneficii ſui mulctandi veniant. Hinc dantur *Tituli* 1. *de vita & honeſtate Clericorum* 2. *de cohabitatione Clericorum & mulierum.* 3. *de Clericis conjugatis* 4. *de Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel præbenda ſua.* 5. *de præbendis & dignitatibus.* 6. *Clerico ægrotante vel debilitato.* Cæterum cum dictum fuerit ſupra, Clericis otioſis, & in Eccleſia ſua non reſidentibus, niſi juſta & rationabilis ſubſit cauſa, præbendas & dignitates conferendas non eſſe: commode nunc ſubjicitur modus forma conferendarum præbendarum & dignitatum. Conferuntur autem præbendæ, vel

jure

jure ordinario, vel extraordinario, & potiu de facto, quam de jure. *Iure Ordinario* con feruntur, quando ſede vacante, intra ſex men ſes poſt mortem alicujus, ſine diminutione r dituum, per inſtitutionem, quaſi per inveſtitu ram ſolennem, alteri conceduntur. *Iure Ex traordinario*, ſive potius de facto conferun tur, quando promittuntur vel deferuntur al tero adhuc vivente, quæ collatio plerumqu eſt ſine effectu. Interdum etiam vacantes ul tra tempus conſtitutum negliguntur, & non conferuntur. Interdum etiam a prælato ſine conſenſu capituli vel totius, vel majoris ſal tem partis, quod ſolennius eſt, conferuntur. Interdum etiam ſede vacante, reditus, ſalaria & ſtipendia eorum diſcerpuntur, imminuun tur, vel in rem & utilitatem prælati convertun tur: Ideo dantur ordine *Tituli* 7. *de Inſtitu tionibus*. 8. *de conceſſione prabendæ, & Eccleſia non vacantis*. 9. *Ne ſede vacante aliquid inno vetur*. 10. *de iis quæ fiunt a prælatis ſine conſen ſu capituli*. 11. *de iis quæ fiunt a majori parte capituli*. 12. *ut Eccleſiaſtica beneficia ſine dimi nutione conferantur*. Et hæc fere de perſo narum jure & ſtatu in hoc libro diſputantur.

De Rebus quoque variæ hic quæſtiones agi tantur, quæ in judicio Eccleſiaſtico in dies mo veri ſolent, utputa, de præbendis & beneficii Eccleſiaſticis, ex neceſſaria aliqua cauſa, & ſo lemniter: vel citra neceſſitatem & ſolennita

tem

tem, vel quoad dominium, poſſeſſionem, utilitatem, commoditatem, uſum, alienandis, transferendis, credendis, vel non credendis: puta per precarium, ſive χρήσεως δόσιν, ad vitam uſumque ejus, qui Eccleſiæ rem dedit, per commodatum, depoſitum, emptionem venditionem, locationem conductionem, permutationem, feudi & emphyteuſeως conceſſionem. Unde *Tituli* 13. *de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non alienandis.* 14. *de precariis.* 15. *de commodato.* 16. *de Depoſito* 17. *de Emptione & venditione.* 18. *de locato & conducto.* 19. *de rerum permutatione.* 20. *de feudis.* Ex his autem contractibus, utrinque obligationes inter creditorem & debitorem oriuntur: quæ rurſus diſſolvuntur, vel per ſufficientem cautionem, per pignora, aut per fidejuſſores, cur per realem ſolutionem ejus quod debetur. Hinc *Tituli* 21. *de pignoribus, & aliis cautionibus.* 22. *de Fidejuſſoribus.* 23. *de Solutionibus.* De Donationibus etiam rerum Eccleſiaſticarum, non raro quæſtionis in foro Eccleſiaſtico agitari ſolent. Quamvis enim donari hodie Eccleſiæ recte poſſit, etiam in ultima voluntate: olim tamen propter ſuggeſtiones & captationes, quibus Eccleſiaſtici, ægrotantes & moribundos urgebant, non æque licebat. Ipſæ vero res Eccleſiaſticæ, niſi cum recompenſatione, ne quidem ab ipſo Epiſcopo donari poſſunt: quoniam hoc dilapidare, non adminiſtrare eſt. Hinc *Titulus* 24. *de donationibus.*

In

In cæteris autem alienationibus Eccleſiaſticis, hæc diſtinctio perpetuo notanda eſt: quod illa quæ uſum tantum ad tempus, non dominium rei uſumve in perpetuum credunt atque transferunt, facilius: ea vero, quæ uſum perpetuum, vel etiam dominium abalienant, difficilius, nec abſque æris alieni inemendabili atque inevitabili neceſſitate, aut impenſa utilitate, cauſæque cognitione prævia, & ordine tractatuque adhibito, ac decreto deſuper facto, permittantur. De Peculio etiam Clericorum, ut & ſucceſſionibus ex Teſtamento, & ab Inteſtato, quandoque hic quæſtiones agitari ſolent: An ſcilicet Clericus peculium pro lubitu alienare poſſit? Et quidem in vita ſua Clericus peculium ſuum, alienare & diſtrahere pro lubitu non prohibetur: per ultimam autem voluntatem, vel etiam ab inteſtato decedens, ſiquidem peculium, vel ex proventibus & reditibus ſacerdotiorum, præbendarum & beneficiorum, vel alio Eccleſiæ intuitu acquiſitum fuerit: id alii quam Eccleſiæ relinquere non poteſt: ſiquidem illa Eccleſiæ, unde provenerunt, remanere debeant. Præſumitur autem de bonis Eccleſiæ quæſitum, quicquid a Rectore Eccleſiæ, tempore promotionis nihil habente, quæſitum eſt. Bona vero patrimonialia, & aliunde, quam Eccleſiæ intuitu, quæſita, conſanguineis, & propinquioribus cognatis, recte

relin-

relinquuntur. Quod ſi bona omnia ita ſint confuſa, ut, quid patrimoniale ſit, & quid Eccleſiæ intuitu acquiſitum, dignoſci non poſſit, in quatuor partes peculium dividendum erit, cujus una pars, Eccleſiæ: altera, Epiſcopo: tertia, pauperibus: quarta, vel parentibus, vel aliis cognatis & propinquis, aſſignanda erit. Cum etiam Teſtamentorum cauſa, pia ſit, ad Eccleſiæ curam & audientiam, ut hujus ſcilicet auxilio ad exitum perducatur, quandoque pertinere putatur. Hinc *Tituli* 25. *de peculio Clericorum.* 26. *de Teſtamentis & ultimis voluntatibus.* 27. *de ſucceſſionibus ab inteſtato.* De Parochiis & jure Parochiali, quod conſiſtit in jure funerandi, decimandi, percipiendi primitias, oblationes, alioque proventus, undequaque debitos, graves etiam quandoque quæſtiones, ut cauſis prorſus Eccleſiaſticis & ſpiritualibus, in auditorio Eccleſiaſtico agitari ſolent: Ideo de his etiam peculiares hic dantur *Tituli* 28. *de Sepulturis.* 29. *de Parochis, & alienis Parochianis.* 30. *de decimis, primitiis, & oblationibus.* De Monachis etiam, regularibus ſive religioſis, eorum ſtatu, domibus, & capellis, variæ ſæpe quæſtiones ad audientiam Eccleſiaſticam deduci ſolent. *Monachi* dicuntur, non a μό-ν☉ & ἄχ☉, ut Azo tradidit, quod ſoli ſint & coram mundo triſtes: ſed ex eo, quod ſolitudinariam vitam agant, & certæ regulæ, &

religioni ſeſe obſtrinxerint & Eccleſiæ Deoq ſeſe veluti ſervos addixerint. Sectæ eorum ſummæ & primariæ quatuor numerantur. Ali enim ſunt *Cœnobitæ*, Alii *Anchoretæ*, ali *Eremitæ*, alii *Curovagi*, *circumcelliones*, & *incerta inſtabilique ſede hinc inde vagantes.* Qui rurſus in infinitos abeunt ordines, certis regulis & obſervationibus diſtinctos. Unde & *Regulares*, *Canonici*, & *religioſi quandoque vocantur.* Qui a ſuis authoribus ut plurimum denominantur. Horum ſuperior & præfectus, nonnunquam *Abbas*, quandoque *Archimandrita*, quandoque *Archimonachus*; quandoque etiam *Cœnobiarcha* appellatur. Status eorum duplici potiſſimum modo conſiderari poteſt, quoad acquiſitionem ſive adeptionem, & acquiſiti ſive adepti, retentionem legitimam & geſtionem. Acquiritur ſtatus Monachalis, ſive (quod idem eſt) Monachi fiunt, aut paterna devotione, aut profeſſione propria, expreſſa vel tacita, aut voto ſolenni, vel ſimplici. *Ex paterna devotione quis fit Monachus*, cum pater filium impuberem Monaſterio offert: isque pubes factus, poſt annum probationis inde egredi rurſus nolit. *Ex propria profeſſione fit Monachus*, qui ſeſe certi alicuius ordinis & religionis regulæ & obſervantiæ, vel expreſſe, vel tacite, obligat & obſtringit. *Expreſſa obligatio ſive promiſſio eſt* quæ expreſſis, & ad voluntatem profitentis cogno-

cognoſcendam, aptis & accommodis verbis fit, ad hunc fere modum, ut ſcilicet novus religioſus profeſſurus, pubes vel coram Abbate, Priore, alteriusve nominis prælato, vel coram ſimplici etiam Monacho, vel Religioſo, a prælato mandatum habente, ejus religionis, quam ipſe ſibi delegit, promiſſionem accipiente, conventu præſentiæ promisſionem faciat, ſcilicet, ſe Deo, & ſanctis ejus, & prælato promittere, quantum auxilii ſibi Deus conceſſerit, operam navaturum, ut caſtitatem & continentiam, pro imbecillitate humana ſervet inviolatam, ut prælato obedientiam & obſervantiam, ex ipſius regulæ præceptis debitam, præſtet, & patrimonii abdicationem faciat: ſcriptura & atteſtatione interveniente, qua in caſu abnegationis, enixa profitentis voluntas demonſtrari poſſit. *Tacita promisſio eſt*, ſi quis geſtu & habitu profitendi voluntatem declaret: veluti, ſi quis ultra probationis tempus, in monaſterio permanſerit, vel habitum, ſive is novitiis & profesſis, communis ſit & indiſtinctus, ſive profeſſorum proprius & diſtinctus, poſt annum probationis elapſum retinuerit. Is quoque qui *votum de ingreſſu religionis alicujus*, compos mentis & deliberato animo fecit, ut Monachus fiat, & votum impleat, cogendus erit: adeo quidem, ut etiam ſi poſt votum, prælaturam fuerit conſecutus, Domino tamen pro-

 miſſa

miſſa reddere ſit compellendus. Eſtque votum hoc in propoſito duplex, aliud ſimplex aliud ſolenne. *Simplex* eſt nuda promisſio nulla profeſſione, neque expreſſa, neque tacita, munita. *Solenne* contra eſt promisſio non nuda, ſed profesſione aliqua vel expresſa, vel tacita, munita & veſtita. Porro ſtatu Monachalis, ſupradictum ad modum ſemel acquiſiti & adepti, poſſeſſio, retentio, & geſtio legitimus, conſiſtit in obſervatione regularum, Statutorum καὶ διαταγμάτων generalia fere ſunt iſta. Votum caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, Abdicatio proprietatis vel patrimonii, Silentium certo loco & tempore præſtandum, Abſtinentia carnium certo tempore, Habitus & veſtitus ſuo ordini & profesſioni decens & conveniens, & ut a Camiſiis ſive lineis induſiis abſtineant. Ut in clauſtris & monaſteriis ſuis perpetuo ſeſe contineant, nec extra illa evagentur. Ne ſint otioſi unquam, ſed ſemper honeſto operi intenti. Ut ab omnibus actibus civilibus & ſecularibus, niſi cum conſenſu prælati ſui, prorſus abſtineant. De capellis Monachorum, & aliis religioſis domibus, ad pium uſum deputatis, ut ſunt Xenodochia, Orphanotrophia, Brephotrophia, Noſocomia, & Gerontocomia, hic conſtituitur, ut juxta Eccleſias parochiales conſtruantur, & jurisdictioni & viſitationi Epiſcopi, in cuius territorio ſive diœceſi ſita

ſunt

ſunt, ſubjiciantur, niſi vel ſpeciali privilegio, vel legitima præſcriptione, a jurisdictione ejus exempta probentur. Hinc dantur *Tituli* 31. *de Regularibus & tranſeuntibus ad religionem.* 32. *de converſione conjugatorum.* 33. *de converſione infideliũ.* 34 *de voto & voti redemptione.* 35 *de ſtatu Monachorum & Canonicorum regularium.* 36 *de religioſis domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ* 37 *de Capellis Monachorum & aliorum religioſorum.*

De jure etiam Patronatus Eccleſiaſtici, ut cauſa quoque mere Eccleſiaſtica, in judicio Eccleſiaſtico, gravisſimæ ſæpe quæſtiones & contentiones moventur. Unde datur *Titulus* 38. *de Iure patronatus*, jus illud, quod competit patrono, vel ex novæ Eccleſiæ conſtructione & fundatione: vel ex ruinoſæ & collapſæ reparatione ac reſtauratione: vel ex indotatæ, quorundam bonorum & redituum dotatione. Jus autem illud, quod ex his cauſis patrono acquiritur, in quatuor hiſce conſiſtit. 1. In præſentatione Rectoris Eccleſiæ vacantis, intra tempus legitimum, idonei, ab Epiſcopo Diœceſano inſtituendi. 2. In patrocinio, advocatia, cura, tutela, protectione & defenſione Eccleſiæ. Unde ſi inſtitutum & ordinatum a diœceſano, inutilem Eccleſiæ cognoverit, ut quia forte frugi non ſit, ſed dilapidator, bonorumque concoctor, vel ipſe patronus, eum honeſta conventione compeſcere, aut Epiſcopo vel Judici competenti,

compeſcendum, recte denunciare poterit: 3. In neceſſario vitæ ſubſidio; nam ſi forte ipſi patroni, vel filii eorum eo inopiæ redacti fuerint, ut auxilio aliorum indigeant, illis modeſte, & pro temporis uſu, ab eadem Eccleſia ſuccurrendum erit. 4. In honore, ratione vel conſenſus, vel proceſſus: nam vel conſidentibus, vel procedentibus, atque urbem vel Eccleſiam, ſupplicationis gratia ambientibus, Eccleſiæ ipſius Clericis primus eximiusque eo ordine locus patrono debetur.

Creberrimæ etiam quæſtiones & contentiones, in judicio Eccleſiaſtico gliſcunt *de Cenſibus ſive penſionibus annuis*, quæ de proventibus Eccleſiaſticis & præbendis, in recognitionem, non quidem dominii ſemper, ſed quandoque etiam ſubjectionis alicujus, Eccleſiæ perſolvendæ ſunt: Item *de Exactionibus*, ex juſta aliqua cauſa, vel ratione perſonarum, vel facultatum, vel negotii, vel alterius cujuſdam rei, extraordinarie Eccleſiæ pendendis, ut ſunt collectæ, vectigalia, telonaria, pedagia, Salinaria, & alia munera perſonalia, & patrimonialia: Item *de Procurationibus*, hoc eſt, ſumptibus, qui Eccleſiæ, ejuſdemque miniſtris & viſitatoribus debentur: Item *de conſecratione Eccleſiarum & altarium*, quæ facienda eſt a diœceſano, aquæ benedictæ aſperſione, Chriſmatis unctione, crucis erectione, orationibus & benedictionibus uſitatis & conſuetis:

Item

Item, *de Sacramentorum, Miſſa, Eucbariſtia, Baptiſmi, Chriſmatis, & aliorum*, celebratione, adminiſtratione, conſecratione, cuſtodia, uſurpatione ſobria & modeſta, effectu, neceſſitate, adeo, ut nemo in presbyterum ordinandus ſit, qui non ſit baptizatus: Item, *de Reliquiis & veneratione Sanctorum*, quæ non tam in cultu divino ipſis exhibendo, ἀποθεώσει, & canoniſatione, quam imitatione pia conſiſtit: Apoſtolo monente: Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti: Item *de obſervatione Iejuniorum, purificatione poſt partum, aliisque ritibus & ceremoniis*, ſecundum morem & diſciplinam Eccleſiaſticam, ſervandis, vel non ſeruandis: Item, *de Eccleſiis novis ædificandis, & veteribus ruinoſis & collapſis, reparandis & reſtituendis*, vel ex iis, quæ fabricæ deputata ſunt, vel ex collatione beneficiatorum, vel ipſorum potius parochianorum, qui ſacramentis & ſepultura; aliisque benedictionibus & miniſteriis Eccleſiæ utuntur: Item, *de Eccleſiarum, cœmiteriorum, religioſarum domuum, aliarumque rerum & perſonarum ad eas pertinentium*, a communibus oneribus, exactionibus, & collectis variis & multiplicibus, tam Imperatorum quam Pontificum decretis & conſtitutionibus, religionis favore, datis & conceſſis *immunitatibus*. Quo ordine pertinent *Tituli* 39. *de cenſibus, exactionibus & procurationibus*. 40. *de conſe-*

cratione Eccleſiæ & Altaris. 41. *de celebratione Miſſarum & Sacramento Euchariſtiæ, & aliis divinis officiis.* 42. *de Baptiſmo, & ejus effectu.* 43. *de presbytero non baptiſato.* 44. *de cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.* 45. *de Reliquiis, & veneratione Sanctorum.* 46. *de obſervatione jejuniorum.* 47. *de purificatione poſt partum.* 48. *de Eccleſiis ædificandis vel reparandis.* 49. *de Immunitate Eccleſiarum, Cœmiteriorum, & rerum ad eas pertinentium.* Et quia Clerici & Monachi, de quibus hic coniunctim, tantis privilegiis & immunitatibus, Imperatorum & Pontificum decretis & conſtitutionibus, ut modo dictum, donati ſunt, ut divinis miniſteriis eo rectius intendere poſſint. Ideo negotiorum ſecularium cura, diſtincte ipſis eſt interdicta. ſiquidem nemo, ſecundum Apoſtolum, militans Deo, ſecularibus negotiis ſe implicare debeat. Unde datur *Titulus* 50. *& ultimus. Ne Clerici vel Monachi, ſecularibus negotiis ſe immiſceant.* Et tantum hic etiam de libro tertio.

Liber quartus Titulos habet 21.

SUperiori Libro de Actibus, geſtis, rebus, & jure Clericorum, tam ſecularium, quam regu-

regularium ſive Monachorum, vario, ut argumento & objecto audientiæ & Jurisdictionis Eccleſiaſticæ proprio, dictum fuit: nunc ordine compilatores huius Juris in hoc libro, actum ſive contractum ſubjiciunt matrimonialem, hoc quidem jure, Laicis fere tantum proprium & peculiarem: propter inſtitutionem divinam, divinique myſterii effectum, ad ſolam Eccleſiaſticam cognitionem, audientiam & jurisdictionem pertinentem: adeo quidem, ut nedum principaliter, ſed etiam, ne quidem incidenter, de eo, temporalis, ſecularis, ſive Laicus Judex, cognoſcere, ullove modo ſe intromittere poſſit. Omnes igitur quæſtiones matrimoniales, tam quoad diſtractum, quam contractum, pro Eccleſiaſticis ac ſpiritualibus, hoc præſertim jure, habentur; proindeque in Eccleſiaſtico Conſiſtorio ſolo, agitari, ventilari, diſceptari, cognoſci, judicari, diffiniri, ac determinari debent. Quod tamen apud alios controverſia non caret, ut alias dicetur fuſius. Quæſtiones autem, cauſæ, ſive tractatus matrimoniales, in hoc libro a compilatoribus propoſitæ, ſecundum ordinem & ſeriem Rubricarum conſideratæ, ſunt iſtæ. *De ſponſalibus & matrimoniis, in genere ſub Titulo* 1. *In ſpecie vero de deſponſatione inter duos impuberes, vel unum puberem, alterum impuberem, an & quando ſcilicet ea valida rataque ſit, nec ne,*

ſub Titulo 2. *De clandeſtina deſponſatione*, hoc eſt, quæ clandeſtine, id eſt, ſine teſtibus & actibus, ſive bannis, denunciationibus, ἱερο-λόγοις, benedictionibus Eccleſiaſticis fit, & ſine conſenſu eorum, quorum in poteſtate ſunt contrahentes, & ſine conſenſu eorum, quorum in poteſtate ſunt contrahentes, & ſine interventu aliorum ſolenniúm, ſive de iure, ſive de conſuetudine requiſitorum. Cui publica opponuntur, quæ palam, teſtato, & omnibus iſtis ſolennibus intervenientibus fiunt, *ſub Titulo* 3. *De ſponſa duorum*, *ſub Titulo* 4. hoc eſt, de promiſſione matrimonii, uno eodemque tempore duobus vel duabus facta, utra prævalere debeat, priorne, an poſterior. *De conditionibus appoſitis in deſponſationibus*, & *aliis contractibus ſub Titulo* 5. Hæ in multiplici ſunt differentia: Aut enim expreſſæ ſunt, aut tacitæ: aut ad præſens, aut ad præteritum, aut ad futurum tempus diriguntur: aut licitæ ſunt, aut illicitæ: aut poſſibiles, aut impoſſibiles: aut honeſtæ, aut turpes, aut inhoneſtæ: aut poteſtativæ, aut caſuales, aut mixtæ. Et hinc deſponſatio conditionalis, cui pura & ſimplex opponitur. *Qui Clerici vel voventes, matrimonium contrahere poſſint, vel non poſſint, ſub Titulo* 6. ubi deciditur, eos Clericos, qui in minoribus ordinibus conſtituti ſunt, ut ſcilicet Acoluthus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius, Can-

Cantor ſive Pſalmiſta, licite matrimonium contrahere poſſe. In ſacerdotio vero & ſacris ordinibus conſtitutus, non poſſe. Sacerdotii gradus & ordines tres numerantur, ſummus, medius, & minimus. In *ſummo gradu ſacerdotii*, conſtitutus eſt Pontifex Romanus. In *medio gradu* conſtituti ſunt Epiſcopi: quorum rurſus tres ſunt diſtincti ordines, major, medius, & minimus. In majori Epiſcoporum ordine conſtituti ſunt quatuor Patriarchæ ſive Primates, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus: In medio Archiepiſcopi ſive Metropolitani, quorum hodie in Imperio Romano tres numerantur præcipui, Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis: In minimo ſunt reliqui Epiſcopi, ſimpliciter & in ſpecie ſic dicti. *In minimo ſacerdotii gradu*, conſtituti ſunt Presbyteri. *In ſacris ordinibus*, conſtituti ſunt Diaconi & Subdiaconi. Et hi omnes matrimonium hoc jure contrahere prohibentur. *Voventes* porro hic dicuntur, qui votum caſtitatis & continentiæ Deo voverunt: Idque vel ſimpliciter, vel ſolenniter. *Simplex votum* eſt, quod nuda tantum promiſſione factum eſt, nec ulla vel ordinis profeſſione, vel habitus ſuſceptione, vel geſtione munitum. Et hoc impedit matrimonium tantum contrahendum, ſed contractum non dirimit. *Solenne votum* contra eſt, non nuda tan-

tantum promiſſione factum, ſed ordinis profeſſione, & habitu munitum. Et hoc non tantum impedit contrahendum, ſed etiam contractum dirimit & diſſolvit. Atque ita ordinis profeſſione, & voti emiſſione, hoc jure matrimonium quandoque impeditur. Hoc tamen impedimentum hodie in Eccleſiis noſtris, a Pontificio fermento repurgatis, optimis fundamentis & rationibus abolitum eſt & ſublatum. Solet etiam ſæpiſſime in hoc foro quæri *de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, ſub Titulo 7.* Quod matrimonium toleratur ſine machinatione, hoc eſt, niſi alteruter conjux, defuncti conjugis vitæ, ad huc finem, ut cum adultero vel adultera ſua, conjuge ſublato, inſidiatus fuerit. Item, *de conjugio leproſorum, ſub Titulo 8.* an ſcilicet impediendum & inhibendum ſit contrahendum, vel contractum dirimendum. Et quidem ſi a ſcientibus utrinque contrahatur, impediendum non eſt. Unde leproſus, qui continere nolit, aut non poſſit, ſi inveniat miſeram aliquam, quæ ſibi nubere, velit: & econtra, leproſa inveniat miſerum aliquem, qui ſe ducere velit: hoc conjugium impediendum non eſt. Quod ſi ſponſalibus pendentibus, alterutri lepra ſuperveniat, quam ſanus deteſtetur, ad implendum promiſſum cogi non debet. Conſummato vero matrimonio per concubitum, lepra utri-

utrique vel alterutri ſuperveniens, illud non diſſolvit. Quod in alio morbo ſontico quocunque verum eſt: ad exemplum ſcilicet furoris, qui alterutri vel utrique ex conjugibus, poſt conſummatum concubitu matrimonium ſuperveniens, illud non dirimit. Item *de conjugio ſervorum* (*& diſpari conditione*, *ut integriores codices addunt*) *ſub Titulo* 9. An ſcilicet illud inhibendum & impediendum ſit, nec ne. Et quidem *Iure Civili Romano*, inter ſervos, vel cum ſervis & ancillis, matrimonium contrahi non poteſt: propterea quod eo jure inter liberos & cives tantum Romanos, matrimonium recte contrahatur, cujus ſervi & ancillæ non ſunt participes: proinde ſi ſervi cum ancillis iungantur, conjunctio iſta Jure Romano, non matrimonii, ſed contubernii appellationem habet: Et ſervus & ancilla conjuncti, eo Jure non conjuges, vir & uxor, ſed contubernales dicuntur. *Iure vero Divino & Canonico*, quoad Sacramenta, cum inter liberum & ſervum nullum ſit diſcrimen: hæc ſervorum conjunctio, æque atque inter liberas perſonas, coniugi & matrimonii appellationem meretur. Et hoc verum eſt, ſi inter ſcientes utrinque conditionem ſuam matrimonium contractum eſt. Quod ſi quis per errorem duxerit uxorem ancillam, quam exiſtimabat eſſe liberam: vel ſi qua per errorem nupſerit ſervo, quem exiſtimabat

mabat eſſe liberum: cognito errore, cognito ſtatu & conditione conjugis, ab eo eave impune divertere, & alii matrimonio conjungi poteſt: non, quod ad nuptias contrahendas, hoc jure libertas neceſſario requiratur, ſed quod errantis nullus ſit conſenſus, ſine quo nuptiæ non conſiſtunt. Quod tamen caſu requiritur, ut & quaſi dotem (nam vera dos inter errantes nulla eſt) reſtituat, qui per errorem, quaſi liberam, ancillam duxit: &, quod vel novus conſenſus, vel copula carnalis, poſt errorem compertum, nulla intervenerit, quæ pro novo conſenſu habetur. Item, *de natis ex libero ventre, ſub Titulo* 10. An ſcilicet matris liberæ, an patris ſervi ſtatum & conditionem ſequantur, & ſic, vel pro liberis, vel pro ſervis habendi ſint: quæ ex ſuperiore dependet. Et quidem *ex c. unic. h. t.* partus, quoad libertatem, ſequitur ventrem, hoc eſt, ſtatum & conditionem matris: non tantum tempore nativitatis, ſed etiam geſtationis & conceptionis: nam quocunque horum temporum mater libera eſt, partus quoque liber erit: Idque favore libertatis, rei pretioſiſſimæ, & inæſtimabilis, receptum eſt. Quod vero vel ex ſervo ventre liber genuerit, vel ex duobus liberis genitum fuerit: non tantum quoad libertatem, ſed etiam quoad originem, honores & dignitates, patris conditionem ſequetur. Item, *de cognatione ſpirituali ſub Titulo* 11.

An

An ſcilicet ea, matrimonium vel contrahendum impedire, vel contractum recte diſſolvere poſſit? Et poſſe utrumque hoc jure definitum eſt. Eſt autem *cognatio ſpiritualis*, vinculum, neceſſitudo, ſive attinentia quædam, ex Sacramenti baptiſmatis collatione, vel ad Sacramentum ſuſceptione, vel per Catechiſmum etiam, vel confirmationem, contracta. Quæ *hoc jure* mire ampliata eſt, & ad multas perſonas porrecta: poſt *ex Reformatione Concilii Tridentini*, ad pauciores coanguſtata & reſtricta: *hodie* in Eccleſiis noſtris, a fermento Pontificio expurgandis, prorſus ſublata & abolita. Item *de cognatione legali*, contracta per adoptionem & affinitatem, ex copula habita, cum conſanguinea uxoris vel ſponſæ ſuæ, vel ſponſa ſui conſanguinei, ut in prima collectione additur recte, *ſub Titulis* 12. & 13. Recte dico in prima Decretalium collectione, *ad Tit.* 13. addi (vel de eo qui cognovit ſponſam conſanguinei ſui:) nam de eo, qui cognovit conſanguineam ſuæ ſponſæ, eſt *c.* 9. *h. t.* De eo vero, qui cognovit ſponſam vel uxorem ſui conſanguinei, eſt *c.* 3 & 6. Et parum, aut nihil hoc caſu refert, cognoverit conſtupraveritve cognatam uxoris ſuæ, vel ſponſam, vel uxorem ſui conſanguinei, ante aut poſt contractum matrimonium, ut videre eſt *ex c.* 3. 5. & 7. *h. t.* Nihil etiam refert, cognoverit eam natu-

rali-

raliter, ut natura fert & ratio poſtulat: an vero extra ordinem, ut patet *ex d. c.* 7. Item, *de conſanguinitate & affinitate* (naturali ſcilicet) quatenus cognatio inde orta, matrimonium contrahendum impediat, vel contractum dirimat & diſſolvat *ſub Tit.* 14. *Conſanguinitas* in jure civili, eſt ſpecies agnationis, & accipitur tantum pro fraternitate germana, quæ ex eodem patre venit: hic accipitur generaliter pro cognatione omni, & jure ſanguinis. *Affinitas* autem in utroque jure eſt jus neceſſitudinis, quod devincti inter ſe ſunt uxor & cognati mariti: & econtra, maritus, & cognati uxoris. Item, *de frigidis & maleficiatis*, hoc eſt, de impotentia reddendi debitum conjugale, vel ex naturæ vitio, ætate puta, vel alio quodam morbo: vel maleficiis, ſive magicis artibus contracta; qui legati, devincti, defixi, incantati, & maleficiati vulgo dicuntur: An & quatenus ſcilicet hæc impotentia, matrimonium vel contrahendum impediat, vel contractum dirimat & diſſolvat *ſub Titulo* 15. Item *de matrimonio contra interdictum Eccleſiæ* (legis vel judicis) *contracto*: quatenus ſcilicet illud impedimentum præſtet, vel non *ſub Titulo* 16. Item hic quæritur: An & quando ex hujusmodi conjugiis illicitis, prohibitis, & putativis, liberi nati, legitimi ſint, vel non ſint: & quomodo vel per ſubſequens matrimonium, vel reſcriptum Principis Spiritualis vel

vel Temporalis, quoad ſpiritualia vel temporalia, vel aliis modis legitimari poſſint, vel non poſſint, *ſub Titulo* 17. *qui filii ſint legitimi.* Item hic quæri ſolet, *qui matrimonium* (ob impedimentum aliquod juris vel divini vel humani, naturale vel accidentale, animi vel corporis, ut injuſtum, illegitimum & inutile, vel ad ſeparationem, vel aliam pœnam) *accuſare, & teſtificari contra illud rectè poſſint, vel non poſſint:* num ipſi conjuges, conſanguinei, cognati, propinqui, num extranei, *ſub Titulo* 18. Item qui quæri ſolet, poſt accuſationem & probationem rite peractam de matrimonio, ex juſta aliqua cauſa, jure vel divino, vel humano, vel utroque approbata, puta adulterii, Sodomiæ, aliusve impuritatis, peccati, criminis, vel delicti publici, deſertionis malitioſæ, machinationis, inſidiarum & periculi vitæ, hæreſeωs, & infidelitatis, ſævitiæ, furoris, impotentiæ, vel naturalis vel accidentalis, monaſterii ingreſſus utriusque vel alterutrius conjugis, altero conſentiente, & ſimilis: vel quoad vinculum & fœdus, vel quoad thorum & menſam tantum legitime ſeparando, *ſub Titulo* 19. *de divortiis.* Item hic quæri ſolet regulariter poſt ſolutum matrimonium, ſupradictorum modorum aliquo, vel etiam morte alterutrius conjugum, de dote, & donatione propter nuptias, vel lucranda, vel ob adulterium admittenda, bonisque

communiter quæſitis (quanquam in dubio ſo lo marito , & de ſolis ejus bonis acquiſita præſumantur) æqualiter inter conjuges dividendis, *ſub Titulo* 20. *de donationibus inter virum & uxorem, & de dote poſt divortium reſtituenda.* Et denique hic quæri ſolet, ſolutis primis rite nuptiis vel morte vel divortio: de novis, ſecundis, puta tertiis, quartis, vel etiam ulterioribus repetendis: an ſcilicet id jure fieri poſſit, nec ne, *ſub Titulo* 21. *& ultimo, de ſecundis nuptiis.* Et tantum hic etiam de libro quarto.

Liber quintus

Titulos habet 41.

SVperioribus proximis duobus libris, de rebus, cauſis, actibus & contractibus civilibus, clericis & laicis propriis & communibus, quantum quidem illi ad audientiam, & jurisdictionem Eccleſiaſticam pertinent, dictum uit: nunc ordine compilatores hujus juris, in hoc libro, ultimo loco, cauſas criminales, ſimiliter clericis & laicis vel communes, ſubſternunt. Materia igitur objectum hujus libri, ſunt varia crimina, delicta & maleficia Eccleſiaſticorum vel etiam Laicorum, quatenus ad audientiam forumque Eccleſiaſticum pertinent, & quæ in judicio Eccleſiæ accuſantur

tur, quorumque rei ad pœnam Canonicam depoſcuntur. Cauſæ autem iſtæ, ſecundum ſeriem Rubricarum, hoc ordine hic proponuntur & tractantur.

His primo loco ipſo *Proceſſus* præmittitur *ſub Titulo 1. de Accuſationibus, Inquiſitionibus & delationibus.* Sicuti enim in judiciis, civilibus, cauſæ per actiones in judicium deducuntur: ita in judiciis criminalibus, ordinario modo, per accuſationes: Extraordinario vero modo, vel per inquiſitionem, proprio motu ex officio, vel ad alterius delationem, ſuſceptam, crimina & delicta, judici innoteſcunt. Et ſic in una eademque cauſa, Iudex, & accuſatoris & Iudicis ſimul officio, favore publicæ tranquillitatis, cujus intereſt delicta & crimina patefieri & puniri, impune fungi poteſt: quod tamen regulariter eſt prohibitum. In quibus tamen, ſi quis doloſe, fraudulenter, injuſte, temere, calumnioſe, & vexandi alterius cauſa, litem moviſſe detectus fuerit, ut calumniator punietur. Cujus pœna eſt, vel ſuſpenſio, vel motio ab ordine, vel fuſtigatio, vel talio ſive ſimilitudo ſupplicii, vel alia extraordinaria. De qua *ſub Titulo 2. de Calumniatoribus.*

Proceſſu ad hunc modum præmiſſo, ipſa nunc ordine crimina & delicta ſubjiciuntur. Et primo quidem, *delictum ſive crimen Simoniæ,* ut cæteris deteſtabilius, ita etiam utriusque

Teſtamenti traditione, gravius punitum: ita dictum *a Simone Mago*, qui cum donum ſanitatis, manus impoſitione, per gratiam Spiritus Sancti, ægrotis ab Apoſtolis collatum, pecunia ab iis emere vellet, damnationis ſententiam a Petro audivit: pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. *Actor.* 8. *verſ.* 9. *cum multis ſeqq. c. qui ſtudet.* 1. *q.* 1. Appellatur etiam *cupiditas Giezitica*, a Giezi, ſervo Eliſæi, qui cum idem ſanandi donum vendidiſſet Naaman, principi militiæ Regis Aſſyriorum: in ejus facti pœnam, lepra, qua Naaman laborabat, affectus fuit 2. *Reg.* 5. *d. c. qui ſtudet* 1. *q.* 1. Committitur autem *Simonia* in genere, cum res ſpirituales, vel ſpiritualibus annexæ, cum temporalibus commutantur: atque ita veluti nundinatio quædam ſpiritualium rerum inſtituitur, ut in duobus modo adductis exemplis videre eſt. Ejus etiam ſpecies ſunt, cum Epiſcopi ſive Prælati vices ſuas, hoc eſt, jurisdictionem Eccleſiaſticam, & præbendas ſuas, ſub annuo cenſu precioque aliis concedunt: vel exigunt aliquid pro conceſſa facultate docendi, ac Magiſterii: vel, ſi ipſi etiam Magiſtri, quibus ab Eccleſia proviſum, ut gratis doceant, pecuniam a diſcentibus exigant: quamvis hoc ultimum turpe potius lucrum ſit, quam vera Simonia. Hinc dantur *Tituli* 3. *generalis*, *de Simonia*, *& ne aliqui*

pro

pro ſpiritualibus exigatur vel promittitur. 4. *ſpecialis, ne prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.* 5. *Item ſpecialis, de Magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Secundum,* quod hic traditur, *eſt de hoſtibus & adverſariis religionis & doctrinæ Chriſtianæ, puræ & orthodoxæ.* Qui omnes ad quatuor haſce claſſes non incommode redigi poſſe videntur, ut ſcilicet *alii* ſint, qui doctrinam Eccleſiæ puram & orthodoxam, nunquam ſunt amplexi, ut ſunt Iudæi, Saraceni, ſive Mahometiſtæ, & ſimiles, puta Pagani ſive gentiles, & ex Paganis & Iudæis conflati, Samaritani: *Alii,* qui a doctrina Eccleſiæ ſemel agnita & amplexata, poſtmodum in totum & omnino defecerunt, ut Apoſtatæ, abtrünnige Mammelucken: *Alii,* qui a doctrina Eccleſiæ ſana & orthodoxa, ſemel agnita & amplexata, non quidem in totum defecerunt, ſed aliquatenus tantum, puta, in fundamento ejus aliquo, ſive articulo aliquo fidei Chriſtianæ, ut hæretici: *Alii* denique, qui a doctrina Eccleſiæ ſana & orthodoxa, aliquatenus non quidem in fundamento, ſed, vel in applicatione ejus aliqua vera, & interpretatione, vel in rebus mediis & indifferentibus, & ad diſciplinam tantum Eccleſiaſticam pertinentibus, aberrant, eoque ſeſe ab Eccleſiæ unitate & conſenſu, ſejungunt, ut ſunt Schismatici, Sectarii, Anabaptiſtæ, Vbiquitarii, Fla-

ciani, & multi alii. Quorum omnium longus hic catalogus & nomenclatura, ex Hiſtoriis ſacris, Eccleſiaſticis & prophanis, texi poterit. Vnde *Tituli 6. de Iudæis & Sarracenis & eorum ſervis*, (quod ſcilicet ſervos & mancipia Chriſtiana habere & poſſidere nequeant:) *7. de hæreticis. 8. de Schiſmaticis, & ordinatis ab eis* (pro vere ſcilicet & legitime ordinatis non habendis, in tantum, ut etiam ab officio removendi ſint, niſi cum eis fuerit diſpenſatum:) *9. De Apoſtatis, & reiterantibus Batiſma.* *Tertium* delictum, quod hic proponitur, eſt *Homicidium* verum & quaſi, ſimplex & qualificatum, inter extraneos, & cognatos, ac ſanguine junctos perpetratum, voluntarium & caſuale. Vnde *Tituli* 10. *de his qui filios occiderunt.* 11. *de infantibus & languidis, ægrotis & debilibus* (a parte ſcilicet, matre, domino, patrono, vel extraneo, ante Eccleſias, portas, curias, vel alium locum publicum, ut ab aliis ex commiſeratione recolligantur, cuſtodiantur, & educentur) *expoſitis.* Quod homicidio ſive parricidio ſimile eſt: necare enim videtur nos is tantum qui partum ſuffocat, ſed & is qui abjicit, & qui alimoniam denegat, & qui publicis locis miſericordiæ cauſa, quam ipſe non habet, exponit, ut Paulus eleganter ait *in l. necare. D. de agnoſcend. & alend liber.* 12. *de homicidio voluntario, vel caſuali*: Homicidiis proxime jun-

unguntur *torneamenta*, *duella*, *& ludi Sagittariorum ſive baliſtariorum*, quod ſæpiſſime per ea, & eorum occaſione, homicidia perpetrentur: quibus omnibus, tum pios omnes, tum imprimis Clericos abſtinere decet, *ſub Titulis* 13. *de Torneamentis*, hoc eſt, conflictibus & congresſibus ex condicto, a θρασιδήλοις καὶ ῥιψοκινδύνοις quibusdam, ad oſtentationem virium & audaciæ, innundinis, vel feriis publicis utplurimum inſtitutis. 14. *de Clericis pugnantibus in duello* (ſive monomachia, ad veritatis & innocentiæ probationem adinventa.) 15. *de Sagittariis*. *Quartum* delictum quod hic proponitur, eſt *Adulterium*, *& ei affine ſtuprum*, quorum illud proprie in nuptas: hoc in innuptas, virgines & viduas honeſtas committitur: quanquam hæc differentia quandoque non attendatur, *ſub Titulo* 16. *de Adulteriis*, *& ſtupro*. *Quintum* delictum quod hic proponitur, eſt *furtum* rerum privatarum, & publicarum, prophanarum & ſacrarum, ut ſacrilegium, rapina, & violationes Eccleſiarum, & his ſimilis *uſura*, quæ parum a furto diſtat, & quæ cum his fere conjuncta ſunt, *Incendia*, *ſub Titulis* 17. *de Raptoribus*, *Incendiariis*, *& violatoribus Eccleſiarum*. 18. *de furtis* 19. *de uſuris*. *Sextum* crimen, quod hic propponitur, eſt *Falſum*, hoc eſt, occultatio vel imitatio veritatis, ad decipiendum, ſcienter & doloſe facta. Quod vel dicto, ſcri-

D 4. pto,

pto, vel facto, vel uſu committitur, variis modis, ut alias pluribus dictum fuerit. Cu affinia ſunt & ſimilia, *Sortilegium & colluſio*, quæ falſi quandam ſpeciem habent. *Sortilegium* enim eſt ſpecies Idololatriæ, quæ Diabolo in conſilium vocato, & certis quibusdam ſortibus & ſignis adhibitis, ſuperſtitioſo quodam modo, futura prædicuntur, & præterita deteguntur & manifeſtantur, ſed falſo, & ficte plerumque. *Colluſio* nihil aliud eſt, quam inter actorem & reum, latens & fraudulenta conventio, qua id ea compacto agitur, ut alter altero colludente, in cauſa ſuccumbat vel vincat: vel quando luſorie, non ex animo cauſam agunt, & translatio accuſandi munere defunguntur, ſponte prævaricantes, & cedentes ultro, prodita cauſa partis ſuæ. Et cum propter hanc mutuam litigantium colluſionem ſæpiſſime crimina impunita maneant, Reipublicæ intereſt, colluſiones iſtas detegi, manifeſtari & puniri, *ſub Titulis* 20. *de crimine falſi*. 21. *de ſortilegiis*. 22. *de colluſione detegenda*.

Cæterum, quod hactenus de criminibus publicis, tam laicis quam clericis fere communibus, & eorum pœnis ordinariis & extraordinariis dictum fuit: id de adultis tantum accipiendum eſt, non etiam de delictis puerorum, nonquidem infantum doli incapacium, proindeque nec delinquentium, ſed proximorum

rum pubertati dolique capacium. Hi enim ſi delinquunt, hoc eſt, levius peccant: vel mitius ſaltem puniendi ſunt, quam adulti: vel venia etiam & commiſeratione, pro circumſtantiarum qualitate, digni, quod ex animi, conſilii, & judicii infirmitate & defectu potius, quam dolo peccare videantur, *ſub Titulo* 23. *de delictis puerorum*.

Delictis communibus hactenus expoſitis, ſubjiciuntur *quædam Clericis propria & peculiaria*, ſub diſtricta prohibitione ipſis interdicta, velut profeſſione eorum aliena, & a divinis miniſteriis avocantia, ut ſunt venationes & aucupia cum retiis, canibus, accipitribus & falconibus, propter feritatem, armorum uſurpationem, clamores, curſus, rixas, injurias, pacis violationes & cædes ſæpe inde ſecutas, & ne, dum canes, falcones, & accipitres alunt pauperum obliviſcantur, eorumque neceſſitati minus ſubveniant: nec enim bonum eſt, ſecundum Chriſti dictum: auferre panem filiis, & dare canibus. *Piſcationes* tamen moderate & tempeſtive adhibitæ, ipſis prohibitæ non ſunt, *tum*, quod multorum ſanctorum hominum exemplis eæ comprobentur. Huc pertinent item maledicta, convicia, & blaſphemiæ, in Deum præſertim, & ſanctos ejus effuſæ: Item miniſteria ſacra & Eccleſiaſtica, aut contra excommunicationem, depoſitionem, interdictum: aut citra

D 5 ordi-

ordinationem ulla: aut prætextu ordinationis illegitimæ, hoc eſt, vel per ſaltum & ſatyram, ad ſuperiores ordines, intermediis omiſſis, præpoſtere aſcendendo: vel furtivæ & ſubreptitiæ, hoc eſt, ſine examine & ſcrutinio prævio, multitudini ordinandorum, inſcio ordinatore, ſe ingerendo, temere & ſine effectu, obita, ſub *Titulis* 24. *de Clerico venatore.* 25. *de Clerico percuſſore.* 26. *de Maledicis.* 27. *de Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto, miniſtrante.* 29. *de Clerico per ſaltum promoto.* 30. *de eo qui ordines furtive ſuſcepit.* Denique varii Prælatorum & ſubditorum eisdem exceſſus, h.e. injuncti muneris & officii transgreſſiones & prætermiſſiones. Et quidem prælatorum exceſſus, onera & gravamina, quibus ſubditos ſuos, inique & contra dignitatem, & officium opprimunt, varia hoc jura recenſentur, utputa, iniquæ & indebitæ exactiones, procurationes, cenſus, uſuræ, occupationes, detentiones, ſubjectiones, liberationes, iniuſtæ excommunicationes, ſuſpenſiones, aliaque interdicta, detractiones & diminutiones redituum, obſervationes nimii rigoris, nimiæ relaxiones rigoris & diſciplinæ neceſſariæ, ſingularium cibariorum exquiſitiones, divitiarum & ornamentorum ſtudium, inhabilium promotiones, ſacramentorum conferendorum neglectus & denegationes, Eccleſiarum aliorumque operum novorum

vorum ædificationes, contra denunciationem rite factam, nec expreſſe, vel tacite remiſſam aliaque ſtatuta & privilegia, quæ habet Eccleſia quam plurima, & alia ſimilia contra dignitatis rationem ſuſcepta. Subditorum vero exceſſus, ſunt varia crimina & delicta, hactenus enumerata, omnis contumacia & inobedientia, adverſus prælatos & ſuperiores ſuos, & denique omnia ea, quæ vitæ & morum honeſtati & officio repugnant, *de quibus ſupr. ad libr. 3. tit. 1. fuſius monui.* Vnde dantur *Tituli 31. de Exceſſibus prælatorum & ſubditorum. 33. de privilegiis & receſſibus privilegiatorum.* Hæc igitur crimina & delicta hactenus enumerata, quoties etiam a laicis committuntur cum injuria & detrimento Eccleſiæ, toties ad forum Eccleſiaſticum pertinent: Et abſque eo, etiam tunc, quando delictum eſt notorium, vel conſtat de negligentia judicis ſecularis in puniendo, aut ſatisfaciendo: & indiſtincte, ſi reſpectu tantum pœnitentiæ in delictum inquiratur.

Vltimo demum loco, exitus & eventus judiciorum criminalium Eccleſiaſticorum, quæ mitiora ſunt, quam Iudicum ſecularium, & ſanguinem horrent, hic oſtenditur iſte, ut ſi reus de delicto aliquo, apud bonos, graues, & fide dignos viros, ex probabilibus conjecturis, infamatus ſit, quod tamen ſatis probari non poſſit: *purgatio jurisjurando Canonica*

nica, ad innocentiam ſuam probandam, ipſi imponatur, qua juret, ſe talem, qualis diffamatus fuit, non eſſe: Compurgatores vero, quibus notus eſt, ſe credere, diffamatum recte juraſſe. *Vulgaris vero purgatio*, per duellum ſive Monachiam, aquam frigidam, ferrum candens, ut impia, ſuperſtitioſa, fallax, & improbata, ipſi injungenda non eſt. Quod ſi vero crimen imputatum, legitime probatum fuerit, tandem pervenitur ad injuriæ & damni per dolum aut culpam, per ſupradictorum delictorum & exceſſuum aliquem, dati & illati, etiam expenſarum ſatisfactionem, pœnasque hoc jure uſitatas, quibus nullo tempore præſcribitur, pœnitentiæ puta, ſuſpenſionis, interdicti, depoſitionis, excommunicationis, intruſionis, incarcerationis, verberationis, characteris ſive ſtigmatis, ſervitutis, privilegii & beneficii privationis, curiæ ſecularis traditionis, inſcriptionis, proſcriptionis, exilii, relegationis, honorum omnium vel quotæ confiſcationis, mulctæ pecuniariæ &c. pro qualitate delictorum & exceſſuum, aliarumque circumſtantiarum competentes: niſi forte hæ pœnæ, vel remisſione, reconciliatione, deletione, abolitione, abſolutione, diſpenſatione, & indulgentia, vel mitigatæ, vel ſublatæ fuerint. Quo pertinent *Tituli* 34. *de purgatione Canonica* 35. *de purgatione vulgari.* 36. *de Injuriis, & damno dato.* 37. *de pœnis.* 38. *de*